

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati milij
Witels.
¶ mas. er. q.
¶ hause. 4. q.
¶ Me. Joha: Leijob.
anno 1621.

CHRISTOLOGIAS SACRAE
Disputatio Trigesima Quarta,
De
DOCTRINA
CHRISTI.

Quam,

Annuente Θεανθεώνῳ

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S.S. Theol. D. & P. P.

In privato Collegio ad disputandum,
proponit

M. MICHAEL RICHTER, Cycneus.

*Habebitur ad diem 14. Novemb. horis pome-
ridianis*

In auditorio minori.

WITEBERGÆ

Johannes Gorman excudebat,
Anno cl. I. CXIX,

CATALOGUS SACR

A. D. 1710.

D

1737. M. H. S. A. N. F. A. S. D.

E

PRÆLOQUIUM.

Cum aurea arctissimaq; inter se cohærent catena, vita & doctrina Christi, merito vitæ descriptionem sequitur doctrinæ ipsius expositio. Sed quam varij huic divinæ sapientiæ sua cornua obvertunt Hæretici? Pelagiiani existimarunt homines ante Legem à Moſe latam justificatos fuisse Lege natura; post illud tempus lege Moſis; tandem verò Lege nova, id est Christo. Pontificij afferunt, Christum præter præcepta etiam dedisse consilia perfectionis. (Bellarm. Tom. 2. l. 2. de Mon. c. 7.) Hos sequuntur Photiniani, quorum vestigia etiam aliquatenus premunt Anabaptistæ, qui doctrinam Christi varie distinguunt & describunt. Smalciv (in Cateches. Racov. c. 1. de offic. Prophet. p. 155.) dicit, eam consistere in novo fædere quod Christus in nomine DEI nobiscum pepigit, istudq; versari putat circa duo, 1. Circa ea, quæ ad DEUM. 2. Circa ea, quæ ad homines, ubi ponit fidem; illa verò rursus dicit consistere 1. in præceptorum moralium perfectione & novoru additione. 2. perfectis promissionib. quæ in V. T. nemini oblatæ fuerunt, quales sunt vita æterna, & donum S. S. ut appareat ex Smalcio. (Cateh. Racov. c. 5. de off. Prophet. p. 232.) Verum quanti hic conglomrantur errores & quot fallacie? Amplissimam requirerent tractationem. Quoniam autem terminus conscribendarum thesium precedentibus Dn. Respondentibus præfixus, & mihi observandus est, prima rerum capita tribus hisce sectionibus inclusa dabo, acturus 1. de doctrina Christi, an sit nova? 2. An Christus Legem moralem perfecerit? 3. Quid de novo addiderit?

SECTIO I.

I. Ante omnia verò considerandum est, doctrinam Christi hic non accipi quinq; ut etiamsi includat Legem. Agetur enim de

ea in secunda sectione; sed eidem, pro concione, de gratuita
promissione remissionis peccatorum, justiciæ & vitæ æternæ pro-
pter Christum. Et hæc est illa doctrina, quam Photiniani ad Pa-
tres V.T. non pertinuisse, ideoq; novam esse somniant. Quæ sen-
tentia cùm manifestè sit falsa, nos negativam certissimis fun-
damentis confirmabimus.

II. Primò, quia sonuit in paradiſo, Gen. 3,15. Præter cau-
sam hic dissentit Calvinus, qui semen mulieris collecti-
vè exponit de omnibus hominibus. Dantur enim & lo-
ca, præter hunc alia, ubi hæc phrasis individualiter sumitur.
Gen. 4,25. Gen. 21,13. Quid verò hæc significatio sit hujus loci,
pater ex eo, quia nullus sub sole potuit conterere caput serpentis,
Ps. 49,8. quam solus Messias, I. Ioh. 3, S. Col 2,15. Is autem est
persona singularis & individualiter existens.

III. Impium ergò est Pontificiorum institutum, qui contra
Hebræorum exemplarium veritatem per capitis serpentini
Contritorem intelligunt B. Mariam. Expressè enim addi-
tur verbum masculini generis יְהוָה ipse conteret, & affixum
relativum ejusdem generis verbo יְהוָה conteres ejus, scili-
cket calcaneum; ut non dicam de versione Onkelos & LXX. In-
terpretum. Gesnerus (in c. 3. Gen. quæst. 19.) Per caput
porrò serpentis non intelligitur Serpens naturalis, sed Draco
ille magnus, Apoc. 20,2. quia (1) ipse in veritate non stetit, Ioh.
8, 44. (2) loqui potuit ad mulierem. (3) intelligere verba Do-
mini maledicentis, quæ alias fuissent frustranea, & (4) seduxit
Eym, 2. Corinth. 11,3. Ex quibus apparet, in hoc dicto effica-
ciissimam reveri consolationem contra furores Diaboli &
mortis, quæ nihil aliud quam doctrina de Christo esse potest.

IV. Secundò, quia nota fuit ante promulgatam Legem
(1) in clara litera, Gen. 12,3. Qualis fuit verò illa benedictio?

Non

Non certè charitatis, ut Rabinis & Calvinio placet. Nam quis probabit hunc morem benedicendi in nomine Abrahami in toto terrarum orbe invaluisse. Non sacerdotaiis, nec patriarchalis, ob rei universalitatem & loquentem D E V M. Divina ergo & merè grata sit necesse est. Quapropter ulterius inquirenda est causa benedictionis istius universalis. In Abrahamo residere non potuit. Fuit enim idololatra. Nihil ergo aliud superest, quam promissus Messias, in quo benedicende fuerunt omnes gentes. Gal. 3,14, 16. qua de causa & hac promissio repetitur Genes. 22,18. (2) Nota etiam fuit doctrina Christi ex suspiriis Evæ, Gen. 4,1. Lamechi c. 5, 29. Iacobi Gen. 49, 18. (3) Ex typis, Abele imperfecto Gen. 4,8. Isaaco immolando Gen. 22, 10. Iosepho vendito Gen. 37, 28. in carcerem projecto, cap. 39, 12. liberato, cap. 41, 14. (4) Ex visione scalæ Iacobææ, quæ applicatur ad Christum, Io-
han. cap. 1,52.

V. Tertiò, post promulgatam Legem (1) ex clara litera Hab. 2, 4. Describitur enim ibi causa instrumentalis justificationis nostræ, nempe fides. 2. meritoria, promissus Messias, cuius meritum fide applicatum etiam efficax fuit in Veteri Testamento. 3. promittitur præmium, vita æterna, quæ omnia exactissimè cum doctrina Christi conveniunt. (2) Ex suspiriis Patri, Ps. 14, 7. 2. Sam 23, 15. (3) Ex typis, tum personalib. Aarone Exod. 28, 29. Hebr. 9, 12. Simson, Iud. 15, 12. Matth. 27. V. 2. tum realibus; propitiatorio. Exod. 25, 17. hirco emissario. Levit. 16, 2. agno paschali, Exod. 12, 6.

VI. Quartò, Quia Patres per eam sunt justificati & sal-
vati, Act. 4, 12. Nec valet exceptio Socini (de Servatore p. 71),
hoc patricinum esse restringendum ad tempus Novi Testamenti.

quod nulla fiat mentio præteriti temporis. Nam quid aliud continetur sub verbo δέδομένον quām præteriti temporis inclusio? 2. licet evincere potuisse præteritum non legi in textu, nihil tamen contra nos concluderet Socinus. Universales enim & res perpetuas in tempore præsente, ad innuendā earum immutabilitatem sēpissimē effert scriptura Rom. 2, ii. In hoc dicto verō zalem haberi, clarum est ex Hebr. 13, 8. Apoc. 14, 6. & ex generali justificandi regula, Rom. 4, 3. Hebr. 11, 4. Objicit (2.) Socinus adjectū esse articulum ἡ nominis σωτηρία, ad indicandam rem novam & inauditam, sed quo cum fundamenteo? Nullo. Si dubitas, inspice, Act. 27, 34. Rom. 11, 11. & apparebit veritas. Et hanc nostram àe justificatione Patrum sententiam confirmat etiam dictum Act. 10, 43. Act. 15, 11. Vnde necessario concluditur, doctrinam Christi non esse novam.

VII. Quinto probatur negativa nostra à praxi Christi, qui allegavit scripta V. T. In quem finem, nisi ut ostenderet doctrinam suam non hodiè aut heri natam, ideoq; ipsi credant? Disertè enim (1) scribit Ioh. 5, 46. quod Moses de ipso scripserit Et Luc. 24, 24. discipulos in vicum Emaunticum ambulantes increpat, quod non credidissent ihs, quae in Mese & Prophetis de ipso scripta erant. Seriò etiam ipsis præcipit, ut scrutentur Scripturas, quae eunis temporis nullæ aliae erant quām V. T. & (2) addit finem, ut consequantur vitam æternam. Quod consilium fecutus est Paulus Act. 26, 22. in docendo.

SECTIO II.

LIX. Postquam de doctrina Christi salvifica actum est, secundo quo queritur, An Christus Legem moralem perfec-
tit? Affirmativam hic defendunt Anabaptistæ, Photiniani
& Pon-

& Pontificij, sed nos negativam hinc probabimus rationibus,
quarum(1) sumitur ab appellatione Legis Ps. 19,8. ubi vo-
catur perfecta. Vnde sic procedo: Lex vocatur perfecta vel se-
cundam partem vel secundum totum; Si illud; nulla alia pars
potest esse perfecta, quam Lex moralis, quae reliquis abrogatis
adhuc durat: Si hoc; sibiipsis contradicunt adversarij. (2) ab
interdicto divino, ne aliquid addamus vel detrahamus,
Deut. 4,2. c.12 32. Prov.30,6. (3) ab immutabilitate Dei,
Mal 3,6. (4) à testimoniis Patrum, Beda in c. 20. Exod.
Nullus numerus crescit amplius, nisi usq; ad decim, ac per hoc in
plenitudine numeri plenitudinem mandatorum Deiue constituis.
Vnde Philo deinde præceptorum dictam vult quasi deinde,
quod omnia numerorum genera comprehendat. Ast huic sent-
tientiae sece opponunt Hæretici, & in primis ex Photinianis
Smalcius (Catech. Racov. c. i. de offic. Proph. p 156.)

& Ostorodus (in instit. c. 22. & seq.) hac potissimum Chri-
sti mortis assertione, Matib. 5, 17. Non veni Legem solvere, sed
implere. Resp. Christum impleuisse Legem potissimum quatuor
modis, 1. per rectam interpretationem, 2. satisfactionem. 3. per
imputationem. 4. per renovationis inchoationem, quorum
prior, cum propriè sit hujus loci, per singula præcepta videbi-
mus, num ipsis aliquid adjectum sit.

IX. Primo præcepto additam putat Smalcius (in Cat. Ra-
cov. c. i. de offic. Proph. p. 164. 165.) formam precan-
di, Matth. 6, 9. Luc. 11, 2. Resp. hic nihil haberi novi. Varia
enim precum generare reperiuntur apud Davidem in Psalmis, &
quidem toti Ecclesiæ præcantata, quod ex inscriptionibus Psal-
mi 4. Psal. 5. Psal. 31. &c. ad oculum patet. Si vero novitatem
hujus rei consistere putant in rerum & verborum serie, dico i.

1. non eadem verbare teneri apud Matthæum & Lucam, quod ex collatione deprehenditur 2. non easdem res: Omititur enim apud Lucam hæc clausula, quia tuum est regnum &c. Quid? quod jam olim Augustini tempore, (August.in Enchir.c.115. 116.) Latina versio apud Lucam non legerit; qui es in cœlis, tertiamq³ petitionem totam cum septima, clausulaq³ supra deta. Etsi vero aliquis diceret se stante Græco fonte nihil curare discrepantiam versionis Latinæ, tamen cum non facile credi posset, hæc in Luca vertendo fuisse neglecta, rectè colligitur, (Chemin.in Harm.c.51.p.785.) diversitatem banc decere, non nimis superfluo urgendam esse rerum ac verborum serviem. Ut nihil dicam de legis perfectione, quæ non consistit in forma precandi Luc:10. 27.

X. Secundò de adorando Christo Ioh.5,23. Phil.2, 20. (Smale.in Cat.Rac.c.1.de off.Proph:p.170,171.) R. Adoratū fuisse Christum in V.T. ratione essentiæ divinæ (1.) Deut.6,13,6.10.20. Non enim existimandum est Christum fuisse extra patrem Ioh:10 30. ambo n. unūsunt, i Ioh.5,8. (2-) ratione personæ, (1) Ps.72,11.15. qui Christo tribuitur propter regnum eternum v. 7. eternam nativitatem v. 5. universale dominium v.8. benedictionem divinam v.17. (2) Ps.45.12. Hebr.1,8. (3) Ps. 97,7. Heb.1,6. (4) Populus Israëliicus adoravit eum Exod. 4, 31. quod de Christo explicandum esse testatur c. 3, 2. & clarus exponitur c. 4,5,6.13, 21. 1. Cor.10. 4. In primis vero tenendum est, Photinianos adorationem Christi pro additamento habere, de qua tamen ipsi non omnes consentiunt. 2 Smalcium docere Christum adorandum esse, & tamen nihil minus facere Nam Smalcius scribit, (In Cat. Rac:p.175. 176.) eum adorari ut causam secundariam & medium, per quod honor Christo colatur

litus ad Deum tendit i. Cor. 8, 6. Sed R. phrasin per quem et
jum tribui Patri Gal. 1, 1. (2) Christo etiā assignari causam pri-
mariam Hebr. 12, 1. Act. 3, 15. Hebr. 5, 9.

XI. Secundo praecepto, quod illi vitiosissime distin-
giunt à primo, additum contendit Smalcius i. Ut caveamus
nos omnino ab idolis. 2. Ne participes siamus eorum,
quæ ipsis sunt immolata i. Ioh. 5, 25. 1. Cor. 10, 14. R. ad
prius, distinguendum esse inter cohabitationem necessitatis &
libera voluntatis: si prius attendis; responsum est Lev. 19, 4. si
vero nulla auct collusio, & adigit nos necessitas secundum
quid, qualis est officij, scimus quid Eliseus dixerit ad Naama-
num 2. Reg. 5, 29 si simplex; proferimus exempla Ecclesiæ
Corinthiæ i. Cor. 20, 27. Ephesinae Act. 29, 26. & tempus Ar-
riani, Papismi, ubi certè ista conversatio concessa fuerit ne-
cessere est; cum non videam, quomodo loca idololatrica prorsus
fugere potuerint.

XII. Ex quibus apparet, (1.) non omnino interdictum es-
se, visitandi sacra idololatrici, si modo nos intrare cœlos conine-
mus terminos. (2.) Anabaptistarum reprehenditur supersticio,
qui in templis idololatrici Papavis convenire nolunt, ne trahant
jugum cum infidelibus 2. Cor. 6, 14. (2) ne idololatriam ipsorum
facile approbent & 3. quia scriptum est Apoc. 18. Exite ex ea
(Babylon) popule mihi, quæ ipsorum argumenta sola recitatione
corruntur.

XIII. Ad 2. additamentum resp. ferè majorem licen-
tiam hodiè dari hac in parte quam olim in V. T. Non enim Pau-
lus dicto loco omnem idolothytorum usum suis auditoribus in-
terdicit, v. 27, 23. sed eum saltē, qui fit cum scandalo, v. 24.
28, 29. unde i. Cor. 8, 4. dicit, idolum nihil esse in Mundo quod tamē
V. T. proprie leges ceremoniales locum habuisse clarum est ex
Num. 25, 1, 2.

XIV. In tertio Præcepto sententiarum sit divortium.
Quidam enim sibi ipsis persuaserunt, N.T. Vetere perfectius esse
quod omnia juramenta tollat, in quorum numero fuerunt Ma-
nichæi, Anabaptistæ & Martyres anno Christi 200. qui
juramenta ipsis imposita repudiarunt, quos secuti sunt
multi e Patribus, & hodiè Pontificii, censentes his agi
de consiliis perfectionis. Photiniani vero contendunt in N. T.
præter dolosa juramenta etiam temeraria. & qui-
dem in causa bona prohibita esse. Matt. 5. 24. (Smal-
cius C. Racov. c. 1. de off. Proph. p. 186. 187. Osto-
rod. in Instit. c. 25. p. 3. f. 163.) 2. concessum esse so-
lum in N.T. jurare in nomine Christi. Resp. i. particu-
lam ὁ λόγος non esse universalem exclusivam, quæ omnia inter-
dicat juramenta, teste Ostor. c. 25. p. 2. f. 163. sed restringen-
dam esse hoc loco ad subjectam materiam. Nam eodem modo
& Paulus dicit, omnia mihi licent i. Cor. 10. 23 cum tamen
peccata sint excipienda. De qua pro materia agit Christus?
De juramentis temerariis, quibus circa necessitatem testem in-
vocabant Deum, cum tamen effcere istud potuissent per etiam
etiam, non non v. 37. 2. De otestatione per creaturas, quam-
ipsis absq; metu perjurij liberum esse iudicabant v. 34. 35. 36.
& Matth. 23. à v. 16. usq; ad 22. Quapropter & altera curuit
sententia.

XV. Photiniani vero (Ostor. in instit. c. 25. p. 3. f. 164.)
ut juramenta temeraria pro additamento Christi obtineant,
dicunt hic, ob verba legis recitata, manifestam fieri opposicio-
nem inter doctrinam Mosis & Christi 2. in V. T. haberi tale
verbum quod significat falso & mendaciter, non autem sine
iusta jurare, probationis gratia adducētes loca Ex. 23, 1. Deus.
20. ubi vocabulum Λέπω sumatur pro mendacio: Ostoro-
dus

dus Inst. c. 25. p. 1. f. 162. Resp. (1) ex v. 20, c. 5. Matth.
(2) Ad rationem, è particula ΝΙΨ petitam infero, non licitum
esse argumentari ab uno exemplo ad alterum. Hanc additionem
enim nullam esse clara iestatur litera Os. 4, 15. Sir. 23. v. 9. c. 27.
v. 15. Et cum vocabulum ΝΙΨ Iob. 15, 31. Ier. 2, 30. significet va-
num & frustraneum quiddam, addo Deut. 5, 11. Exod. 20, 7. Nec
ipsoſ juvat (3) verborum legis recitatio. Allegantur enim à Chri-
ſto non nude, ſed cum falsa Phariſeorum explicatione v. 43. (4)
non dicitur legiſta ſed audiſtis, & quidem δέχασθε, per quos
etiam intelliguntur præcipui, principes, unde Piscator vertit. Ir-
habt gehört/dafß von den Alten / qualis phraſis reperitur I.
Corinth. 15, 6. Per nomen Christi vero etiam jura-
runt in V.T. quia eum adorarunt, ut probatum dedimus, 2.
quia est verus DEVS, Rom. 9, 5.

XVI. Præcepto quartonihil perfectionis invenerunt addi-
ditum, niſi quod Smalcius Cat. Rac. p. 189. dicat, præceptum
de sabbato eſſe abolitum, ideoq; præceptis Decalogi annumeratis
ut denotetur 1. partis legis præcipua imperfectio, 2 perfectiorem
legem videl. Christi fuſſe expectandam. Sed quid ſentis, Smal-
ci? num tibi 1. abolitione idem eſt quod perfectio, quam unum-
quodq; præceptum sortitum eſſe claritas p. 162? 2. Probes sab-
batum ea ratione, quā pertinet ad Legem moralem eſſe abol-
itum, & 3. eſſe indicium perfectioris Legis?

XVII. Quintum præceptum etiam intactum relinquant.
Sexti vero additio 1. eſt ira temeraria, Matt. 5, 22 (Oſtor.
c. 23. Inst. p. 3. f. 156. Smalcius in Cat. Rac. c. 1. de off. Pr.
p. 195.) Resp. Non poſſunt facile probare, hic ſolum agi de ira
temeraria, cum vocabulum εἰκῇ Augustino teste in Græco Co-
dice olim non inventum ſit. (2) hoc conſeffum quid contra nos?
Legitur enim idem in V.T. Lev. 19, 17. Prov. 27, 3. Eccles. 7, 10.
Sed

Sed Ostorodus aliquid obtinere cupiens, sic limitat sententiā;
c. 23. Instit. f. 154. & c. 27, 17. ubi cuncti in V. T. praeceptum fuit,
ne fratri, i.e. unicuique populo irascamur. & quidem sub iusta
poena, qualis est ignis gehennæ? Resp. fratrem etiam in V. T. ge-
neralissimè sumi pro omnibus hominibus. Confer loca Levit. 19.
v. 18. & v. 33, 34. 2. ignem gehennæ contineri sub generali ma-
ledictione. Deut. 27, 26.

XIIX. 2. Additio, Ne verbis duris cum offendamus, Matt.
5, 22. Resp. non solum verba aspera, Ier. 18, 18. sed & toruum
vultum reprehendi, Ps. 112, 10.

XX. 3. Vindicta privata, Matt. 5, 39. seq. Smalcius (Cat.
Rac. c. 1. de off. Proph. p. 197.) Ostorodus (Inst. c. 27.
p. 3. f. 175.) Resp. verba hæc accipienda esse comparatè, nimi-
rum in collatione majoris malit. 2. non omnem excludi etiam
vindictam privatam, in casu necessitatis ad vitam tuendam sus-
ceptam. Defendenda enim ea est, non profundenda temerè.

XX. 4. Vindicta publica. Smalcius dicto loco, Ostorod.
Instit. c. 26. f. 164.) quam consistere dicunt in accusatione
forensi. 2. in gladii usurpatione. Resp. (1) judicia politi-
ca sunt ipsius Domini, 2. Par. 19, 6. (2) habent exemplum Chri-
stii. Ioh. 18, 23. Pauli, Act 25, 3. C. 24, 10. C. 25, 8. quomodo ergo
Christus usum eorum abrogaverit non video. Excipiunt (1)
Photiniani concedi ea posse. si absit ultio, sed manifestam com-
mittunt contradictionem, cum nihil aliud sit recompensatio da-
mni injustè illati, quam ibi petimus, quæ vindicta. Nec plus (2)
fundamenti habet, quod forenses has accusationes tantum erga
extraneos, non autem fratres in Christo valere dicunt. Dictum
enim hoc 1. Cor. 6, 5, 6. seq. agit de erratis levibus, v. 4, 2. de litigij,
v. 6. de magistratu impio, vers. 1. apud quem hac ratione
Christianæ suspecta fit religio.

XXI:

XXI.(2)Vsum gladii concessum esse patet(1)ab autoritate & con-
cessione ejusdē divina, Rom.13,4. (2)a terrore malis operibus incu-
tiendo, b.3. (3)a bindicta, b.4. 1. Pet.2,14. (4)a remotione impio-
rum. Ostorodi autem exceptio, (c.28.Inst.p.3.f.186.) per gladiū
gravem pœnam intelligentis, Matth.10,34. frigida est. Progressio
enim sit a particuliari. 2. in promptu est contrarium exemplum,
Matt.26,52. Apoc.13,10. Quæ omnia cum sint clara, nullam de-
monstrant additionem.

XXII. Septimo præcepto. Primo concupiscentiā mu-
lieris, addit Smalcius, Ostorodus. Resp, idem evincitur ex
V.T. (1)ab interdicto divino. Exod 20,17. Sir.9,8. (2)a repre-
hensione Domini, Ezech.23,16. (3)ab exemplo honesto Iobic.32
v.9. in honesto, Gen.39,7.

XXIII. Secundò, de non repudiandis uxoribus nisi ob
adulterium, & repudiata non ducenda, Matt.5,32. c 19.
v.9. Respondeo, Christus Matth.19,4.seq. hæc etiam opponit
legi antiquissimæ, Gen 2,24. Ex quo tamen non collendum
est, leges divinas sibi invicem opponi. Posterius n. non ha-
betur pro præcepto, sed tantum est concessio, Matt.19,8. Et li-
cet Marci 10,5. videatur appellari præceptum, tamen recte
perpendendū est, quale sit illud, & quidnam præceperit Mo-
ses, videl.libellum repudii, non repudiationem ipsam.

XXIV. Tertiò de Concubinatu & Polygamia, quam
Ostorodus addit, (inst.c.24. p.2.f.159.) consideretur versus 5.
Matt.19. (2)institutio divina in arca Noæ, Gen.6,13.

XXV. Quartò, omnem scortationem, 1.Cor.6,15. impu-
ritatem, Heb.12,14. obsecratos sermones, 1.Thess.4,3.jocos, Eph.5,
v.4. Smal. (in Cat. Rac. p.199.) Resp. ad 1 ex Deut.22,20
f. Ezech 16,15. Ier.5,8. Ad 2. Deut.23,12,13. Ad 3. & 4. Pr.15,2.

XXVI. Octavo Præcepto. 1. Avaritiam, Heb.13,5. 1. Tim.6,
11. (Smalcius in Cat.Rac.p 203.) eamq; Ostorodus (Inst.
c.31. p.1. f. 230.) definit per cupiditatem plus habendi quam
ad vitam sustentandam necessariò requiritur. Et hujus suæ sen-
tentia

tentiae fundamentum petit ex *Luc.* 12, 15. ubi carpit Lutheri versionem, quæ sic sonat: Niemand lebt von dem / daß er viel Güter hat / dicens, meliorem esse hanc, Niemands leben bestehet in dem / daß er etwas vbriges hat. Verum male carpitur Lutherus, cùm in Græco textu legatur $\tau\theta\alpha\sigma\epsilon\upsilon\delta\nu$ $\chi\mu\tau\omega\tau\omega\tau\alpha\pi\chi\sigma\eta\tau\omega\tau$. Vitiosaq; præterea est definitio, quæ avaritiam magis ex cumulo quam nimio pravoq; hominis appetitu erga opes depingit, de quibus tamen alibi prolixius agitur. Dicitur autem allegata nihil contra nos faciunt.

XXVII. 2. Luxuriam in cibo & potu, quod referunt etiam convivia, adde & vestitum *Luc.* 21, 34. *Rom.* 13, 13. *Gal.* 5, 21. (Smalcius in Cat. Rac. p. 205. Ostorod. in Instit. c. 30. p. 3. f. 222, 223.) *Resp.* ex *Ezai.* 3, 16. *Ezai.* 5, 22. *Prov.* 23, 20. *Luc.* 14, 12. *Deut.* 21, 20. Excipit quidem Ostorodus p. 1. f. 220. ad loca *Ezaiæ* vestium & cibi potusq; luxuriam ibi non reprehendi, sed Dominum Israelitis saltem sua reprehare beneficia, quod quidem verum est, ast quæ est causa istius exprobationis certè nil nisi luxuries, quam ipsis DEVS non concesserat.

XXIX. Nonum Præceptum perfectionem suam consecutum esse scribit Smalcius (in Catech. Rac. p. 205.) & Ostorodus (Instit. c. 30. p. 2. f. 221, 222.) in annexione mendaciorum, non solū ex animo fallendi cupido ortorum, sed etiam temerariorum. 2. om̄ium obtrectionum. 3. delationum. 4. calumniarum. *Eph.* 4, 25. *Rom.* 1, 30. 1. *Pet.* 2, 1. *Resp.* Hæc dicta nihil nobis contrariantur. De mendacijs enim vide, *Lev.* 19, 11. *Exod.* 20, 16. De obtrectionibus & calumnijs, *Ps.* 15, 3. De delationibus, *Ps.* 101, 5.

XXIX. Decimum præceptum perficiunt hisce; ne videlicet rebus expeditis animum adjiciamus, licet de ijs perficiendis nunquam cogitemus, sed sola quam pariunt in corde voluptate simus contenti. (Smalcius in Cæch. Rac. p. 206.)


Resp. ex Psal. 119, 133. **וְאֵל הַשְׁלָט־בָּיו בְּלֹא אֶתְנָה**, ubi manifeste in אֶתְנָה (quod descendere vult Chemnitius parte 2. Loc. C. p. 98. à אֶתְנָה concupivit, desideravit) notatur concupiscentia tanquam radix, quæ certè non minus laudatur, quam pravi affectus in effectum prodeentes. Et quid multis? Certè Apostolus clare dicit, non novissem, nisi Lex dixisset, non concupisces, Rom. 7, 7. Tandem; licet evincere possent, non omnia secundum literam in V. T. quemadmodum in N. reperiri, tamen distinguant quæc inter rei explicationem & novæ additionem, resq; erit plena.


SECTIO III.

XXX. Post tractationem de præceptorum Christi perfectione nunc merito de præceptis in specie additis est agendum. Horū verò ex mente Smalcij in Catech. Rac. p. 207. seq. dantur duplicita. Priora versantur circa mores, posteriora autem circa ceremonias: Illæ rursus sunt triplicia: (1.) Se ipsum abnegare, quod nihil aliud esse volunt, quam malarū corporalium arg; mundanarum voluptatum valedictionem. 1. Iob. 2, 15, 16. cuius tamen interdicendum legitur in ultimis Decalogi præceptis, & Amos 6, 3. 4. quemadmodum & de superbis Lev. 26, 19. 2. Reg. 18, 28. (2.) Crucem Christi portare; ut videlicet non solum hilari animo omnes perferamus calamitates, sed etiam exigente necessitate pro Christo morem obeamus, de quo vide Iob. 1, 20, 21. c. 5, 17, 18. Prov. 3, 11. & 2. perpende exemplum Mosis & Aaronis, qui cum summo viræ periculo accesserunt, in gratiam Iehovæ & populi, ad Pharaonem, Exod. 10, 28. Eliæ 1. Reg. 18, 15, 17. Eliæ 2. Reg. 6, 31. (3.) Christum sequi: ut nimirum in nobis sit (1) fiducia in DEV M, (2) amor erga DEV M & proximum, Matth. 5, 43. (3) humilitas Phil. 2, 3, 4. qualis est pedum letio, Iob. 13, 4. (4.) assiduitas & universalitas

Salitas in precando. 1. Tim. 2, 2. Resp. quem latent dicta de fiducia
DEI, Psal. 20, 8. Ier. 17, 7. (1) de humilitate. Esa. 66, 2. (2) Soph. 2,
v. 3. (3) de assidua & generali oratione, Psal. 19, 62. atq; ita ab-
raham etiam orabat pro inimicis Sodomitis. Gen. 28, 23. Abime-
lecho, Ethnico, c. 20, 17. Moses pro idololatriis. Exod. 32, 11.
xxxii. Tandem nec dilectio erga DEUM è V. T. excluditur, Luc.
10, 26. Matth. 22, 32; nec erga homines. Nam Ostorod. c. 27. p. 7.
f. 171. hæc loca Levit. 19, 17. Exod. 23, 4. de solo Israelita accipi-
piens valdè errat, quod suprà demonstratum est th. 17. Modus
præterea dilectionis utrobius idem est. Nam & in V. T. ho-
mines pro se invicem posuerunt animas, ut Davidis liberantis
Israelitas, Moses cupientis deleri è libro vitæ propter Israeli-
tas, exemplum ostendit. Quin nec locus Matthæi allegatus
contra nos pugnat. Non enim ille reperitur in toto V. T. ut
aperte videoas, eum oppositum esse Phariseorum traditionibus.
Sed quid ad illum Ostorodus respondet? (Inst. c. 2. p. 1. f. 175.)
Possibile esse hæc verba, odio persequaris inimicum tuum, scri-
pta alicubi fuisse in Lege, licet hodiè in ea non reperiuntur,
quemadmodum etiam Matth. 2, 23. Christus Nazarenus voca-
bitur, dicit hodiè in V. T. non extare. Ast, impudentiam homi-
nis, qui (1) ea, quæ ipsius falsissimā firmare possent sententiam,
periisse censem! (2) Nec verum est, quod de dicto Matthæi pro-
fert. Legitur enim Zach. 6, 12. Esa. 11, 1. c. 60, 21.
xxxiii. Posteriora verò præcepta nostra, videlicet Baptismum & Cœnam
Domini, quæ versantur circa ceremonias, & nos dicimus esse
bona N. T. sed (1) Baptismum in V. præfiguratum per arcam Noæ
Gen. 7, 1. Pet. 3, 21. per transfiguratum per mare rubrum, Exod. 14, 29.
30. 1. Cor. 10, 2. per circumcisionem, Col. 2, 11. (2) promissum, Psal.
29, 20. Esa. 44, 3. De Cœna Domini quoque idem est judi-
cium, adsunt enim (1) typi: agnus Paschalis, Exod. 12, 3. 1. Cor. 5.
v. 7. manna, Exod. 16, 31. 1. Cor. 10, 3. (2) pronissiones, Psal.
23, 1, 2, 5. Esa. 25, 6. Quid ergo novi obti-
nuistis Hæretici? Nihil.

F I N I S.





OGIAS SACRAE

gesima Quarta,

RINA
ISTI.

am.

Θεανθέων

ÆSIDIO

ARIS MEISNERI
I. D. & P. P.

o ad disputandum.

ponit

ICHTER, Cycneus.

. Novemb. boris pome.

nis

o minori.

ERGÆ

an excudebat,

is CXIX.